



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Prolud. 6. Prædestinatio D. Iosephus in prædestinatione Christi, uti
prædestinatio Mariæ inclusa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare: demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. His ergo libenter dum annuo, investigabiles intellectus tanti Mysterii divitias dum relinquo suspiciens & admirans, dico in puris creaturis & in sexu virili splendidissimum operationis gratiæ Dei specimen, seu illustrissimum, eminentissimum & capitale opus esse Sanctum Josephum, qui ab æterno electus est directè & primariò ut esset Christi Pater; quemadmodum Beatissima ejus conjux Maria sanctissimum & capitale est opus gratiæ Dei in sexu muliebri, quia electa ut esset ejusdem Christi Domini & Dei nostri Mater ter-gloriosa.

PROLUDIUM VI.

Prædestinatio Divi Josephi in prædestinatione Christi, uti prædestinatio Mariæ inclusa.

- I. **P**RÆDESTINATUS est D. Josephus ut esset Pater Christi, ut diximus Prolud. 4. nec tantum directè & primariò propter quæ cum diximus Proludio præcedenti Opus Capitale in ordine gratiæ, sed etiam ipsius prædestinatio ut & Sponsæ suæ fuit intimè unita & inclusa in ipsâ Christi prædestinatione. Tanta est illius cum JESU & Maria connexio, ut nec in tempore, nec in aternitate separati inveniantur.
- II. Probatur hoc nostrum assertum, quia certum est ex Scriptura, Patribus & Theologis Deum nihil ad extra operari nisi juxta cõsiliu voluntatis suæ, seu ut aiunt, conformiter ideis quas de illis in suo intellectu præformavit ab æterno: Cum ergo Deus in tempore Mysterium Incarnationis non aliter operatus sit, quàm mediante muliere, Virgine quidem, sed tamen viro scilicet D. Josepho nuptâ, sequitur omninò quod D. Josephus fuerit comprehensus in conceptu illo & decreto quod de isto Mysterio ab initio & ante sæcula Deus præformavit.
- III. Confirmatur, quia ex dictis hîc Prolud. 4. n. 4. ex hoc dicitur Christus

prædestinatus, quod ipsius sacra Humanitas electa sit ab æterno & destinata ut uniretur hypostaticè Verbo Divino, & D. Josephus ex hoc quod electus est præ omnibus ut esset Pater Christi; ergo cum Christus destinatus sit nasci ex Muliere, Virgine quidem, sed Viro scilicet D. Josepho nuptâ, prædestinatio D. Josephi, ut & Beatæ Virginis Sponsæ suæ inclusa in decreto Incarnationis, consequenter est inclusa in prædestinatione Christi.

IV. Confirmatur secundò ex Matthæi cap. 1. ubi aggrediens Sacer Evangelista explicationem executionis Mysterii Incarnationis seu Generationis JESU Christi secundum carnem, statim ut recensuit seriem Progenitorum ejus secundum carnem, subdit modum quo generatus est his verbis, *Christi autem generatio sic erat, cum esset desponsata Mater JESU Maria Joseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ubi quamprimùm Evangelista profert executionem hujus summi mysterii, simul etiam facit mentionem desponsationis Mariæ & Josephi, per quod manifestè datur intelligi, Incarnationem nonnisi dependenter ab illâ desponsatione factam & executam: ergo nec decretam: ergo ulterius quando Verbum Divinum prædestinatum est incarnandum, etiam D. Josephus prædestinatus est Pater ejus futurus.

V. Confirmatur tertio ex hoc quod non prius Archangelus Gabriel missus sit & venerit ad Beatam Virginem, quàm esset desponsata D. Josepho & facta Uxor D. Josephi, Divus Josephus Maritus ejus, ut videbimus suo loco: Cujus rei Sancti Patres plures assignant rationes: alii ut per Joseph origo Mariæ demonstrari posset; alii ne Maria pro fornicariâ, Christus pro illegitimo haberetur; alii ut partus ejus celaretur diabolo, sed hæ rationes saltem duæ priores probant tantum desponsationem debuisse præcedere nativitatem Christi non conceptionem, ut patet: hæc enim duo haberi potuissent, si post Annuntiationem, maximè verò si non diu post desponsati fuissent.

VI. Quare respondeo id ideo factum, quia noluit Christus Dominus Beatissimam

Synopsis

Magnificat
D.
Josephus
RV
111

simam Virginem, quamvis magis dilectam, vel momento uno prius esse Matrem suam quam D. Josephus esset Pater suus; noluit, inquam, Maternitatem Beatæ Virginis vel unico instanti præcedere Paternitatem D. Josephi, ut exinde ulterius colligeremus & concluderemus, quod sicut simul & semel eodemq; momento in tempore Divus Josephus fuit Pater JESU, quo Beata Virgo Maria fuit ejus Mater: ita etiam eodem puncto Æternitatis in suâ prædestinatione electus fuit Pater, quo Beata Virgo electa fuit ejus Mater.

VII. Nec prætermittendum hæc à Sacro Evangelistâ statim ac de executione Mysterii Incarnationis agit tres illas personas JESUM, Mariam & Josephum ita conjungi, ut unaquæque sit in suo ordine, JESUS primo, Maria secundo, Joseph tertio. *Cum esset desponsata Mater JESU Maria Joseph.* Unde concipio ex hoc quod Incarnatio dependenter ab D. Josephi cum Beatâ Virgine desponsatione facta sit & decreta, consequenter esse inter illas tres Personas sanctissimas eundem prorsus ordinem simul & connectionem, quam inter illas ibi divinum ponit Evangelium. Quocirca optimè illi Doctores meo videri censuerunt, qui dixerunt illas tres Personas sacratissimas inter se componere hierarchiam unam seu ordinem particularem, in quo sunt solæ, omnibus modis ab omnibus aliis Beatis qui sunt ad alios ordines redacti distinctæ, quorum proinde nulla cum his potest esse comparatio; quam Hierarchiam seu ordinem vocant ordinem unionis hypostaticæ, quia nimirum unio hypostatica est illius fundamentum & causa: in quo quidem ordine Christus Dominus primum tenet locum, quia in ipso est formaliter ipsa unio: Beata Virgo secundum, quia ab ipsâ & ex ejus carne Christus: Tertium D. Josephus, quia ad illudendum diabolo sub ejus umbrâ & integumento, idest, in ejus cum Deiparâ Conjugio conceptus, consequenter ipsi productus, & ipse tantæ prolis curæ, tutelæ, educationi omninò ex naturâ rei adstrictus; quapropter statim initio Evangelii ubi de generatione Verbi secundum carnem agitur, ita JESUS, Maria,

Joseph ab Evangelistâ conjunguntur & ordinantur, ut quam inter illos ponit unionem & ordinem in hujus summi executione mysterii, eandem unionem, eundemque ordinem fuisse intelligamus etiam in ipso quod de eodem formatum est æterno decreto.

PROLUDIUM VII.

Tota ratio essendi D. Josepho fuit Christus, ut scilicet esset illius Pater.

NON tantum fuit ista intima unio ac strictissima D. Josephi cum Verbo Incarnato connexio in esse supernaturali, in quo cum assero cum Christo ipso prædestinatum, nimirum ad esse Patris ejusdem Christi & ad gratiam ac gloriam tantæ proportionatam dignitati, sed insuper tanta fuit inter ipsum & Christum connexio etiam in esse naturali, ut & decretum de futurâ aliquando ipsius existentia in rerum naturâ non fuerit nisi propter Christum, adeoque tota ratio essendi D. Josepho fuit præcisè ut esset Pater Christi Domini; quâ ratione cessante omninò verum est quod nunquam fuisset natus homo ille in mundo; ut proinde quomodo D. Bernardus homil. 1. super *Missus est*, de Divâ Deiparâ argumentatus est, ita de D. Josepho ejusdem Dei & Domini nostri optimo Patre propter non parvam similitudinem rationis.

Sic ergo D. Bernardus ibi de Beatâ Deiparente: *Talem sibi Deus de omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat & sibi noverat placituram.* Ubi mellissimus Doctor postquam dixit quod Deus in hominem pro homine effingendum debuit inter omnes mulieres illam eligere in matrem qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram, seipsum corrigit addendo, *imò condere Matrem.* Non enim satis esse putavit, ut exprimeret mentem suam super tantæ magnitudine Matris, dixisse quod illam elegerit ex omnibus mulieribus, sed existimavit addendum quod illam expressè condiderit talem qualem

I.

II.